



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

21. Romanus Pontifex &c. Constitutio revocatoria Tribunalium  
particularium Judicum specialium & facultatum eis à Prædecessoribus  
diversis temporibus concessarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & à Majori Penitentiario, Regente, & Officialibus prædictis aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublati eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio  
contrariis.

§. 51. Non obstantibus præmissis, & aliis quibuscunque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & dictæ Penitentiariæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus quibuscunque, ac quibuscunque vivæ vocis oraculis, privilegiis, indultis, & Litteris Apostolicis ejusdem Penitentiariæ Officio, illiusque Majori Penitentiario, ac Officialibus, & Ministris, & quibuscunque aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibuscunque derogationum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & alias quomodolibet per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, ac etiam Nos concessis, innovatis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil, penitus omisso, & formâ in illis tradita observata, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permanentibus, harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

A. 1692. 3.  
Septemb.  
P. A. 2.

§. 52. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum compilationis, concessionum, prohibitionum, decretorum, statuti, voluntatis, declarationis, confirmationis, derogationis, aliorumque præmissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, tertio nonas Septembris Pontificatus Nostri Anno Secundo.

B. Card. Prodaturus

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus

Loco † plumbi

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicatio

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione decimaquinta, die vero decimamona Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Pro-

videntiâ Pape XII. Anno Secundo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Atrio Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Cannamelinum ejusdem Sanctiss. D. N. Pape Cursorem.

M. Aurelius Pelliccio Curs. Magister.

Constitutio revocatoria Tribunalium particularium, Judicum specialium, & facultatum eis à Prædecessoribus diversis temporibus concessarum.

XXIII.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROMANUS Pontifex curæ agri Dominici more diligentis patris familias indefinenter invigilans, ut juxta verbum propheticum noxia evellat, & destruat, utilia verò plantet, & ædificet, ea etiam, quæ alias rationabilibus tunc suadentibus causis à Sede Apostolica concessa fuerunt, ex aliis validioribus, seu supervenientibus rationibus, quibus præsertim faciliori, ordinario, & juridico justitiæ cursui in Romana Curia cæterarum magistræ uberius consulitur, ad viam juris reducere, moderari, immutare, & revocare non definit, & in his sollicitudinis suæ studium interponit, quando & prout in Domino conspexit salubriter expedire.

§. 1. Hinc est quod Nos sedulâ meditatione penitantes, privilegia privativarum, seu cumulativarum jurisdictionum, etiam cum facultate proprios, seu beneficos Notarios habendi, seu deputandi, quàm pluribus præfate Curie particulariter institutis Judicibus, seu Tribunalibus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri, aliquorum Seculorum spatio concessa, ita paulatim quidem, sed in immensum excrevisse, ut Judicum, & Tribunalium ordinariorum jurisdictio magnopere decreverit, & super hujusmodi jurisdictionum constitutu, & Judicum competentia frequentes contentiones, expeditam causarum terminationem cum litigantium damno, & Causidicorum incommodo differentes irreperirent; Ac propterea inter alia, quæ circa eandem Curiam emendanda, reformanda, & rectius ordinanda suscepimus, quantum Nobis ex alto conceditur, hujusmodi absurdum occurrere, ac præfate Curie, ejusque Judicum, & Tribunalium majori decori, & ordini, sicut Justitiæ ratio, & publica utilitas postulant, hac Nostrâ speciali Constitutione prospicere volentes, motu proprio, ex certa scientia, & maturâ deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nec non de nonnullorum Dilectorum Filiorum ejusdem Curie Prælatorum, & Virorum pietate, doctrinâ, prudentiâ, & rerum usu præstantium, ad hunc effectum de mandato Nostro pluries congregatorum consilio, omnia, & singula hujusmodi particularia Tribunalia, & speciales Judices vigore privilegiorum præfatorum in eadem Curia hætenus constituta, seu constitutos, tenore præsentium penitus, & omnino supprimimus, abolemus, & abrogamus, & propterea ad viam Juris reducimus omnia, & singula, indulta, facultates, & privilegia habendi, seu deputandi tam in prima, quam in ulterioribus instantiis omnes prædictos particulares Judices quocunque nomine nuncupatos, ac etiam Assessores, Congregationibus etiam S. R. E. Cardinalium, Ecclesiis, & Basilicis, etiam Patriarchalibus, Monasteriis, Abbatibus, Collegiis, etiam Nationalibus, etiam sub cura, & administratione Presbyterorum, seu Clericorum Regularium Societatis Jesu existentibus Archihospitalibus, & Hospitalibus etiam S. Spiritus in Saxia, & Neophytorum Archiconfraternitatibus, Confraterni-

Aboletur  
Judicum  
particularium  
facultas  
eligendi  
Notarios  
sibi  
beneficos.

tabus; etiam Annunciationis B. M. Virginis, Montibus etiam Pietatis, Monasteriis etiam Mulierum Penitentium, Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, Curis, & Judicibus, etiam Burgi, & Arcis S. Angeli, Militiis, etiam S. Joannis Hierosolymitani, quibuscumque Universitatibus & Consulatibus, etiam Artium, Conservatoriis Domibus piis, etiam Almae Domui Lauretanæ, Capellis, etiam ad Præsepe Jesu Christi, & Imaginis Beatæ Mariæ Virginis in Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, Altaribus, cæterisque aliis Locis piis quocumque pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus eorum Protectoribus, Archipresbyteris, Abbatibus, Vicariis, aliisque Administratoribus quibuscumque, ac Præfatis, etiam Palatii Nostri Apostolici in quibusvis causis Civilibus, criminalibus, aut mixtis, activis & passivis dictarum Ecclesiarum, locorum piorum, aliorumque ut supra, nec non eorum Officialium, Dignitatum, Canonicorum, Beneficiatorum, Affictuorum, Emphyteutarum, Colonorum, aliorumque quomodolibet inservientium iisdem Locis piis, illorumque bonis, & Tenentis, etiam cum quibusvis facultatibus, & auctoritatibus eligendi Notarios sibi benevolos, ac procedendi summarie, de plano, solâ facti veritate inspectâ, sine strepitu, & figura Judicii, manu Regiâ, ac quacumque Appellatione, reclamazione, recurfu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus, aut majoribus facultatibus etiam per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & Principum quorumlibet preces, & instantiam, seu eorum contemplatione, & intuitu, ac etiam in limine foundationis, seu quacumque causâ, non tamen verè onerosa, videlicet congruâ, & effectivæ solutionis Camera Nostre legitime factæ, & non alias, vel pro bono publico spirituali, aut temporali, etiam ex causa studii, & Catholicæ Fidei, ac alias quomodolibet in Contrarium præsentium concessa, confirmata, & approbata, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovata, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquilita, & certa forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, servatis, & specificatis respectivè habentes, perinde, ac si præfata indulta, facultates, & privilegia concessa, confirmata, & innovata non fuissent, ad effectum præsentium specialiter expresse, plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus.

§. 2. Iisdem pariter modo, & forma omnia, & quæcunque indulta, facultates, & privilegia Dilecto Filio Nostro, ac pro tempore esistenti in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali sub quibusvis formis, Decretis, clausulis, aliisque supradictis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & præsertim per fel. rec. Clementem Papam X. etiam Prædecessorem Nostrium quibusdam suis Prid. Idus Augusti Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, expeditis Litteris concessa, ad statum in quo erant ante Litteras piæ memoriæ Pauli Papæ V. pariter Prædecessoris Nostri Kal. Martii ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo undecimo super reformatione Tribuna-

lium Urbis editas, & respectivè juxta easdem Litteras in judicialibus reducimur.

§. 3. Liceat tamen Judicibus, ut supra suppreffis, & abrogatis, qui vigore privilegiorum, ut præfertur, processerunt, causas coram iisdem hæcenus jam instructas seu alias legitime contestatas, prædictis non obstantibus, per totum mensem Decembris proximè venturi, prout juris fuerit, expedire, itaut eo tempore elapso hujusmodi causæ ad Judices ordinarios, & competentes Romanæ Curie in statu & terminis ipso facto devolvantur.

§. 4. Quod si hujusmodi causis interim expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut restitui in integrum peti contigerit, appellationes hujusmodi, reclamaciones, supplicationes, recursus, & restitutionis in integrum petitiones non amplius ad Tribunalia antiquorum privilegiorum, sive ad Protectores, Archipresbyteros, aliosque ut supra, sed ad signaturam Justitiæ, & respectivè ad suos Superiores, & Ordinarios, prout in cæteris causis per Judices ordinarios expeditis servatur, devolvantur, & devolutæ sint, & esse censentur.

§. 5. Similiter etiam in casu appellationum, reclamacionum, supplicationum, recursuum, ac restitutionis in integrum petitionum à sententiis, & Decretis Judicum per eosdem privilegiatos extra Curiam præfata deputatorum, seu deputatorum in posterum interponendarum, eadem appellationes, reclamaciones, supplicationes, recursus, ac restitutionis in integrum petitiones non amplius ad supranominatos, cujuscunque dignitatis etiam Cardinalitatis sint, qui etiam ratione Episcopatum, Guberniorum, Abbatiarum, Commendarum, aut ex alio quovis titulo, vel privilegio hujusmodi jurisdictionem tum in committendo, tum in decernendo, vel in judicando usque ad præfens in Urbe ipsa, vel alias exercuerunt, sed ad Judices ordinarios, & competentes ejusdem Romanæ Curie devolvantur indifferenter, & parimodo, sicuti in cæteris causis per alios Judices de partibus expeditis servatur, nullâ habitâ ratione privilegiorum, & antiquarum facultatum.

§. 6. Habentes autem facultatem eligendi in partibus Judicem secundarum instantiarum, teneantur illum ibidem per unicam, & universalem deputacionem ad omnes hujusmodi causas constituere; Et si vel super reculatione, vel super modo procedendi coram dicto Judice deputato emergat controversia, ad signaturam Justitiæ, prout in cæteris causis, & negotiis fieri solet, recurratur. In tertiis verò, seu ulterioribus instantiis eo modo, quo in causis appellationum à Judicibus de partibus ad Romanam Curiam legitime devolutarum procedi solet, observetur.

§. 7. Quoad Consulatus Artium, & Universitates etiam Medicorum, & Mercatorum, sublatis omnibus Assessoribus, & abrogatâ in judicialibus quacunque Consulum, & Universitatum jurisdictione, itaut eorundem & earundem jurisdictio, ex nunc etiam quo ad causas instructas, & legitime contestatas penitus, & omnino cessare debeat, & cessasse intelligatur succedant, & procedant competentes Judices. Ordinarii juxta eorum ordinarias facultates, nullâ ut supra habitâ ratione privilegiorum, & antiquarum facultatum, inter quos sit Locus præventioni, adhibitis, quatenus Judicibus ipsis opus videatur, iisdem Consulibus, solummodo tanquam peritis in rebus, & negotiis eorum artem concernentibus. Excipimus tamen, & sub præfenti nostra Constitutione comprehensos esse nolumus tum Consules Agriculturæ, illorumque Assessores, tum Notarios Curie Burgi, Mercatorum, & Aromatariorum pro eorum officiis titulo oneroso acquisitis, seu administratis, donec aliter provideatur.

§. 8. Ad hæc Basilicæ Collegia, Hospitalia, cæteraque memorata Loca pia, quæ ex concessio-

Permittitur causarum intra mensem Decembris expedire.

Appellationes in iisdem causis ad Signaturam Justitiæ devolvenda.

Et ad Judices Ordinarios Romanæ Curie.

De facultate eligendi Judicem secundarum instantiarum.

De jurisdictione Consularum artium, Universitatum mercatorum Consulum agriculturæ, &c.

Loca pia supra memorata nihil pro instrumento

Facultates Vicario Generali concessæ reducuntur ad statum ante Constitutionem Pauli V.

in causis  
eorum in-  
teresse cō-  
cernenti-  
bus persol-  
vant.

Præserva-  
tiones.

Decretum  
super ob-  
statiivis.

Decretum  
irritans &  
Clausula  
sublata.

Derogatio  
contrariis.

Sanctio  
pœnalis.

D. 17. Sep-  
tembris  
1692. P.A.  
secundo.

ne Apostolica, vel inveteratâ consuetudine electio-  
nem, & usum proprii Notarii, in primis, vel ul-  
terioribus instantiis habebant, & in posterum in  
causis, in quibus agatur de vero, ac proprio inte-  
resse dictarum Ecclesiarum, & Locorum piorum,  
non teneantur ad aliquam solutionem extractus,  
seu registri, sed Notarii quorumvis Tribunalium  
debeant in dictis causis, & in qualibet instantia  
conficere Instrumentum Actorum, nec quicquam  
sub quovis prætextu etiam excessivitatis scripturæ,  
petere vel exigere valeant.

§. 9. Postremò declaramus, per præsentis No-  
stras Litteras nullatenus ademptam esse Cardinali-  
bus Archipresbyteris Titularibus, seu Protectori-  
bus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facul-  
tatem, seu jurisdictionem in iis, quæ servitium  
Ecclesiæ, seu Loci pii, circa tamen disciplinam  
Ecclesiasticam, & morum correctionem duntaxat  
concernunt; Minusque sub iisdem præsentibus Tri-  
bunalia Cameræ Apostolicæ, Legatum Avenionen-  
sem, Judicem Fabricæ S. Petri, neque ipsas Con-  
gregationes in solito Liberulo, seu Elencho Con-  
gregationum, ac Tribunalium Urbis descriptas  
comprehendi.

§. 10. Decernentes easdem præsentis Literas,  
& in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd  
omnes, vel singuli supradicti, ac alii quicunque in  
præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes,  
seu habere prætendentes, cuiusvis status, gra-  
dus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu  
aliàs specificâ, & individua mentione, & expre-  
ssione digni existant, iisdem præmissis non consen-  
serint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tamen  
si suorum indultorum, vel privilegiorum vigore  
consentire, seu vocari semel vel pluries quoquo-  
modo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica,  
& privilegiata causâ, colore, prætextu, & capi-  
te, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam  
tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nul-  
litate vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse  
habentium consensus, alioque quolibet, etiam  
quantumvis magno, ac formali, & substantiali  
defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam  
revocari, ad terminos, Juris reduci, seu adversus  
illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliud-  
ve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium  
intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed sem-  
per, & perpetuò validas, firmas, & efficaces ex-  
istere, & fore, suosque plenarios, & integros ef-  
fectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus,  
ad quos spectat, & pro tempore quodcumque  
spectabit, inviolabiliter observari.

§. 11. Sicque & non aliter per quoscunque Judi-  
ces ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate  
præeminentiâ, aut potestate fungentes, & functu-  
ros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores,  
& S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sub-  
latâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi,  
& interpretandi facultate, judicari, & definiri de-  
bere. Irritum quoque, & inane, si secus super  
his à quovis quavis auctoritate scienter vel igno-  
rante contigerit attentari.

§. 12. Non obstantibus omnibus, & singulis  
præmissis, & quatenus opus sit, nostra, & Can-  
cellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tol-  
lendo, & pariter quatenus opus sit, recol. mem.  
Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris nostri de gra-  
tiis quæcunque interesse Cameræ Apostolicæ con-  
cernentibus in d. Camera intra certum inibi  
præscriptum tempus præsentandis, & registrandis,  
ita ut præsentis in ea præsentari, & registrari nul-  
lo unquam tempore, vel modo necesse sit, nec non  
aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Aposto-  
licis, ac Urbis Nostræ, dictarumque Ecclesiarum,  
omniumque, & singulorum supradictorum quibus-  
vis, etiam juramento, vel alia quavis firmitate, sub  
quibuscunque verborum tenoribus, formis, clau-  
sulis, decretis, aliisque supradictis in contrarium  
præmissorum roboratis, seu confirmatis, & innovatis

statutis, ac usibus, styli, & consuetudinibus,  
etiam immemorabilibus, quibus paritur modo,  
forma, & tenore præmissis, ad effectum præsen-  
tium, illis aliàs in suo robore permanfuris, am-  
plissimè ut præfertur derogamus, cæterisque con-  
trariis quibuscunque.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat pa-  
ginam hanc Nostrarum suppressionis, abolitionis,  
abrogationis, reductionum, derogationum, vo-  
luntatis, mandati, declarationis, & decreti infrin-  
gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis au-  
tem hoc attentare præsumpserit, indignationem Om-  
nipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apo-  
stolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno  
Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo no-  
nagesimo secundo, quintodecimo Kalendas Octo-  
bris Pontificatus Nostri Anno secundo.

J. F. Card. ALBANUS.

B. Card. Prodaturus

Visa de Curia J. Sacripantes.

Loco † plumbi

D. Ciampinus

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi  
millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione  
decimaquinta, die vèrò decima octava Septembris, Pon-  
tificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Do-  
mini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Pro-  
videntiâ Papa XII. Anno Secundo, supradicta Con-  
stitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ  
S. Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolo-  
rum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Flo-  
ra, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per  
me Petrum Cannamelinum ejusdem Sanctiss. D. N.  
Papa Cursorem. M. Aurelius Pelliccia Curs. Magi-  
ster.

## DECRETUM.

Super abolitione Privilegiorum concessorum Judi-  
cibus particularibus, & reductione Tribunalium  
ad jus commune, sive ad Judices Ordinarios  
Romanæ Curia.

AD radicem submovendum quodidianos Jurisdi-  
ctionum consuetus, ac intolerabiles abusus, qui  
in Romana Curia ex multitudine Judicum particu-  
larum exercitum ex privilegio privativam, seu cu-  
mulativam jurisdictionem nimis irrepserunt, Congrega-  
tio particularis à Sanctissimo Domino Nostro Innocen-  
tio Divinâ Providentiâ Papa XII. specialiter (ut  
infra) deputata censuit, nullum aliud magis proprium,  
justius, & aptius remedium dari posse huic gravissimo  
malo, per quod jurisdictio Judicum, & Tribunalium  
Ordinariorum ad nihilum fere redacta reperitur, quam  
mediante nova Constitutione per Sanctitatem suam pro-  
mulganda penitus tollere, & abrogare omnes prædi-  
ctas Judicaturas particulares vigore privilegiorum ha-  
ctenus erectas, & constitutas, & proinde ad viam Ju-  
ris reducere omnia & singula Indulta, facultates, &  
privilegia eligendi, seu deputandi tam in prima,  
quàm in ulterioribus instantiis omnes prædictos Judi-  
ces particulares, quocumque nomine nuncupatos, concessa  
per Prædecessores Romanos Pontifices Congregationibus  
etiam S. R. E. Cardinalium, Ecclesiis, & Basilicis,  
etiam Patriarchalibus, Universitatibus, Monasteriis,  
Collegiis, etiam sub Cura, & administratione Patrum  
Societatis Jesu existent. Hospitalibus, Archiepiscopalibus  
etiam S. Spiritus in Saxia, Confraternitatibus, Archi-  
confraternitatibus, Conservatoriis, Domibus Piiis, etiam  
Alma Domus Laurerana, Cappellis, Altaribus, Mon-  
tibus, etiam Pietatis, cæterisque aliis Locis Piiis, quo-

cumque

cumque pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus eorum Protectoribus, Archiepiscopis, Abbatibus, Vicariis, aliisque Administratoribus quibuscumque in quibusvis Causis Civilibus, Criminalibus, aut mixtis dictarum Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliorumque ut supra, nec non eorum Officialium, Dignitatum, Canoncorum, Beneficiorum, Affictuariorum, Emphyteutarum, Colonorum, aliorumque quomodolibet interuentium eisdem Locis Pii, illorumque bonis, & Tenuris, etiam Privilegia predicta appareant, seu fuerint concessa Motu proprio, Consistorialiter, seu in limine foundationis, sive ex causa onerosa, vel pro bono publico spirituali, aut temporali, & quantumvis extiterint semel, ac pluries per Sedem Apostolicam confirmata, & innovata, cum quibusvis facultatibus, & auctoritatibus eligendi Notarios sibi bene visos, ac procedendi summarie, de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura iudicii, Manu Regia, ac quacumque appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus, aut maioribus facultatibus, ac quibuslibet efficacissimis clausulis munita noscantur, etiam si ista continerent derogatorias ad futura, seu derogatorias derogatorias, seu mandarent revocari non posse, nisi auditis etiam pluries habentibus interesse, ita ut Constitutionis per Sanctitatem Suam promulgandae effectus sit, quod in omnibus, & per omnia predicta privilegia, facultates, & Indulta quocumque titulo, causa, vel ratione, aut verborum amplitudine edita, seu concessa habeantur, ac si non emanassent, aut nunquam fuissent confirmata, vel innovata.

Mens autem, ac Sensus Congregationis fuit, & est sub presenti ordinatione non comprehendere causas jam instructas, seu alias legitime contestatas coram Iudicibus particularibus, quod propterea ea non obstant potuerunt ad illarum expeditionem prout Iuris fuerit procedere: Verum si causis huiusmodi expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut in integrum peti restitutio contingat, appellationes huiusmodi, reclamationes, supplicationes, recursus, ac petitiones restitutionis in integrum devolvantur ad Signaturam Justitiae, prout practicatur in ceteris Causis expeditis ab Iudicibus Ordinariis, nec amplius redire possint ad Tribitalia antiquorum privilegiorum, sive ad Protectores, Archiepiscopos, aliosque ut supra: prout nec etiam in casu recursuum, & appellationum in posterum interponendarum a sententiis, & Decretis Iudicum per eosdem privilegiatos extra Curiam deputatorum, seu deputandorum, huiusmodi recursus, & appellationes amplius ad supranominatos, sed ad Iudices Ordinarios, & competentes Romana Curia devolvi debeant.

Declarando tamen, quod per presentem ordinationem non censetur ullo modo adempta Cardinalibus Archiepiscopis, Protectoribus, seu Titularibus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facultas, seu Jurisdictio in his, qua concernunt servitium Ecclesiae, seu Locis Pii, circa disciplinam Ecclesiasticam, & Morum correctionem dumtaxat: prout quod neque sub eadem ordinatione comprehensa sint Tribitalia Camera Apostolica, Legatus Avenionensis ac Iudex Fabricae S. Petri, neque Congregationes descriptae in solito liberculo, seu Elencho Congregationum, ac Tribunalium Urbis. Quo vero ad interesse Notariorum, nec non ad artes, & Consularatus Urbis, censuit eadem Congregatio, esse in posterum particulariter providendum. Facta sub eadem die 31. Augusti 1692. per me infra scriptum relatione praemissa resolutionis sanctissimo D. Nostro, Sanctitas sua precepit, illam publicari, & interim omnino observari, donec desuper edatur Bulla, ac si eadem jam emanasset.

Anfaldus de Anfaldis S. S. D. N. Auditor.

Sequuntur nomina Praelatorum aliorumque qui praedictae Congregationi particulari a Sanctissimo specialiter deputatae intervenerunt.

Reverendissimi P. D. Prosper Bottinus Archiepiscopus Miren. Filici, & Camerae Advocatus, & Promotor Fidei Reverend. P. D. Jacobus Emerix S. Rotae Advocatus.

Reverend. P. D. Matthaeus Yfore de Heruault Sac. Rotae Decanus.

R. P. D. Federicus Caccia Sac. Rotae Auditor.

R. P. D. Joseph Molines Sac. Rotae Auditor.

R. P. D. Curtius Origus Signaturae Justitiae Auditor.

R. P. D. Joseph Sacripantes S. D. N. Subdatarius.

R. P. D. Ferdinandus Nuptius Rev. Camerae Apostolicae Commissarius Generalis.

R. P. D. Anfaldus de Anfaldis Auditor Sanctissimi.

D. Fattinellus de Fattinellis Primus Collateralis Curiae Capitolii.

D. Jo. Dominicus Raynaldus Locumtenens Criminalis Eminentissimi D. Card. Vicarii.

Pro D. Succesore D. Nicolai Florelli olim A. C. & S. Palatii Apostolici Notarii.

Angel. Montan. pro R. C. Administrator Deputatus.

Die mense, & anno, quibus supra, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiae, & in Aede Campi Florae, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vafellum SS. Domini Nostri Papae Curf.

M. Aurelius Pelliccia Mag. Curfor.

Confirmatio Decretorum & Ordinationum Prioris Generalis Ordinis Fratrum Mariae Virginis de Monte Carmelo.

XXIII.

## INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

**M**ilitantis Ecclesiae regimini per ineffabilem Divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostorum suffragio, praesidentes, ea quae a Religioforum Ordinum Superioribus ad bonarum artium, & Sacrae Theologiae studia, ex quibus Ecclesiae, & religioni multum decoris, atque utilitatis provenire solet, opportunis rationibus promovenda providere, sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis Nostri praesidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

Exordium.

S. 1. Exponi siquidem nuper fecit Dilectus Filius Joannes Feyxod de Villalobos Prior Generalis, Ordinis Fratrum SS. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod ipse, ut sacrarum eiusque ancillarum bonarum Litterarum studia in eodem Ordine, ac praecipue in Provinciis Italiae ipsius Ordinis magis in futurum vigeant, peculiarem muneris sui sollicitudinem adhibere satagens, vigore specialis facultatis sibi ad id in Capitulo Generali dicti Ordinis novissime in hac Alma Urbe celebrato attributae, acum approbatione Venerabilis Fratris Nostri Palatii Episcopi Praenestiniensis S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupatis Ordinis praedicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, nonnulla super praemissis Decreta, Ordinationes, & provisiones fecit tenoris, qui sequitur videlicet.

Recentior Decreta &amp; Ordinationes de quibus in Rubr.

Fratres Joan-Feyxod de Villalobos Sacrae Theologiae Magister, ac humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo antiquae, & regularis observantiae &c. Omnibus & singulis notum est, quod Sacra nostra Religio a primis ejus Institutoribus uberes in Ecclesia Dei fruges ex laudabilibus bonorum Fratrum operibus, & exemplis provenientes, totis studiis proferre consuevit, ut liquidò constat, tum ex Nostri Constitutionibus, praescribentibus, quod Priores Provinciales, & locales in nostro Ordine, nec minimum quidem apicem quoad studia praetermittere negligant, & potius praes oculis semper habeant, quod magis floreat in favorem gloriam, & decus Religionis. Tum ex Bullis fel. rec. Gregorii XIII. *Ur Laudes*; Julii II. *Ad Sacrum Ordinem*; & Sixti IV. *Dum attenta ibi fructus quoque uberes, quos dictus Sacer Ordo in agro Militantis Ecclesiae in propagatione Religionis, & Fidei Orthodoxae hactenus produxit utiliter, & producit, ac in futurum producitur speramus* &c. Hinc

Proemium ab expellenda ignorantia &amp; fovendis bonarum Litterarum studiis.

nostro-